B. N. C
FIRENZE
1056
21

105. 21

Digitized by Google

10 56 . 21

TABVLAE IN TRES LIBROS

ARTIS PARVAE GALENI, PER QVAS

VNVSQVISQVE FACILE POTERIT VNO INTVI-

TV TOTAM ARTEM MEDICAM.

definitiuo ordine traditam contemplari

A D

COMMVNEM STVDIOSORVM

vtilitatem excogitatæ, ac in lucem ęditæ

A

IOANNE BAPTISTA MONTANO

Phyſico Veronenſi M D XLVI.

Menſe Nouembri.

PATAVII,

Excudebat Gratioſus Perchacinus.

Ad inſtantiam Lucæ Bertelli.

M D LVIII.

1056

1056. 21

Tabula Prima.

Medicina eſt Scientia

- **Corporum.** Quę quoniam ſuſceptiua ſunt
  - Salubritatis
  - Neutræ diſpoſitionis,
  - Inſalubritatis,
  - Dicuntur corpora
    - Salubria,
    - Neutra,
    - Inſalubria.

  Corpus humanum, quatenus eſt ſanabile, ægrotabile, & neutræ diſpoſitionis ſuſceptibile, eſt ſubiectum artis Medicæ.

- **Signorum.** Hæc rerum occultarum manifeſta ſunt veſtigia: & rei indicatę naturam vel præcedunt, vel comitantur, vel ſequuntur. Quia vero indicatiua ſunt
  - Salubritatis,
  - Neutræ diſpoſitionis,
  - Inſalubritatis
  - Dicuntur ſigna
    - Salubria.
    - Neutra.
    - Inſalubria.

- **Cauſſarum.** Cum vero quatuor ſint genera cauſarum, Medicus primo efficientem, ſecũdo materialem, tertio formalem, vltimo finalem cõſiderat. Quæ vero efficiunt, conſeruant, vel præſeruant
  - Salubritatem
  - Neutram diſpoſitionem
  - Inſalubritatẽ,
  - Dicuntur cauſſæ
    - Salubres.
    - Neutræ.
    - Inſalubres.

Tabula II. de Corporibus

Salubria

- **Simpliciter**
  - **Vt sẽper. Hęc**
    - Maxime ſunt ęqualia in temperatura & cõpoſitione, vt nihil prorſus exuberet vel deficiat. Robuſtisſimas habent operationes pẽs. Validisſimé reſiſtunt omnibus cauſis alterantibus. — Tale raro, vel nunq̃ inuenit.
  - **Vt multum.**
    - Hæc deficiunt aliquãtulũm ab exquiſita ęqualitate, non multum tamen. Defęctus aũt eſt vel ĩn tẽperatura, vel in cõpoſitione, vel vtraq; à quibus quantũ deficit, tantũ minuitur robur actionũ & reſiſtentia cõtra cauſas alterantes. — Tale frequẽter reperitur.
- **Vt nunc.**
  - Hæc plurimum deficiunt ab æqualitate, vel in temperatura, vel in compoſitione, vel vtraque: & quanto magis recedunt ab ęqualitate, tanto robore virium & reſiſtentia minus pollent. — Hic gradus frequẽtiſſimus eſt, & ferè tales inueniuntur homines noſtra præſertim ætate.

Neutra hæc vel

- Nullius participant extremi: ſed ambigunt inter vtrũque, æqualiter diſtantia. Hæc proprie neutra appellantur, vt corpora ſenum & imbecillium. Et propter hunc primum modum reliqua neutra dicuntur. Eſt igitur hic maxime proprius. — Sunt autẽ hæc neutra triplicia.
  - Lapſus. hęc referuntur ad morbum, & dicũtur neutra decidẽtię.
  - Regreſſus. ad ſanitatẽ referunt, & dicũtur neutra cõualeſcẽtiæ.
  - Status. hęc pariter ad vtrũque referuntur, & dicuntur neutra abſolute, vt corpora ſenum,
- Simul participant vtriuſque: vt qui imbecillo quidem vẽtriculo, aut cerebro, aut alio membro ſunt, vt illud membrũ ambigat inter ſalubritatem & inſalubritatẽ reliqua vero membra ſalubria ſunt. Hęc tota appellantur neutra, quia vnum mẽbrum habent neutrum primi modi: ſicut & ægra quæ vnum membrum habent ægrum, vt caput vel pedem.
- Vtriuſque ſimul participant diuerſis tamẽ temporibus, non ſimul eodem tempore ſiue ſecundum totum, ſiue ſecundum partem. Vt qui ęſtate ſalubres degunt, hyeme neque planè ſani, neque planè ægri: & nil refert ſi hæc diſpoſitio ſit in toto vel in parte.

— Omnia neutra quatenus neutra, medio modo ſe habent inter ſalubria & inſalubria. recedunt ab ęqualitate in tẽperatura, vel compoſitione, vel vtroque. Ideo medio modo habent robur actionũ Medio itẽ modo reſiſtũt cauſis alterantibus.

Inſalubria.

- **Simpliciter** Maxime quidem recedunt ab æqualitate vel temperaturæ, vel compoſitionis, vel vtriuſque: ita vt ſi vel minimum vlterius receſſerint, ſtatim cadant. Adhuc tamẽ ſana ſunt: licet inſalubria, ideſt maxime parata ad morbum, Talia minimum habent robur, minimeq; reſiſtunt cauſis alterantibus. — Suntq; duplicia
  - vt ſemper, quę ſunt exquiſite talia.
  - vt multũ, quæ ſunt maxima ex parte talia
- **Vt nunc.** Hæc actu recedunt à tota latitudine ſanitatis. hñt .n. morbum in actu. vnde vel tẽperatura cecidit a ſtatu ſanorũ, vel compoſitio, vel vtrunq;. Ideo imbecillas habent actiones, & iacere coguntur victa a cauſis alterantibus. Hic gradus tota regione opponitur ſalubri ſimpliciter: Reliqui omnes ſeriatim medii ſunt, quorũ alii magis ad ſalubre declinant, alii ad inſalubre, alii inter vtrunque ambigunt. & ſunt omnino gradus .XV. & ſi addas neutra abſolute, erũt. XVIII. vt patet in margine.

1 Salubre vt ſemper.
2 Salubre vt multum
3 Salubre vt nunc.
4 Neutrum 1 modi vt ſemper
5 Neutrum 1 modi vt multum.
6 Neutrum 1 modi vt nunc.
7 Neutrum 2 modi vt ſemper
8 Neutrum 2 modi vt multum
9 Neutrum 2 modi vt nunc.
10 Neutrum 3 modi vt ſemper
11 Neutrum 3 modi vt multum
12 Neutrum 3 modi vt nunc.
13 Neutrum lapſus.
14 Neutrum regreſſus
15 Neutrum ſtatus.
16 Inſalubre, vt ſemper.
17 Inſalubre, vt multum.
18 Inſalubre, vt nunc.

Tabula V. de Signis Prognoſticis.

Signa prognoſtica.

Salubria. Horum proprium vt ſignificent rem futuram nó præſentem. Apparent autem in his qui habent inſalubritatem vt nunc, vel neutralitatem relatam, quam diximus conualeſcentię, & referuntur potiſſimum ad salubritatem vt núc, licet poſtea ad ſalubria ſimpliciter poſſint referri. Summuntur ab iiſdem fontibus tam rerum naturalium quam rerum præter naturam, à quibus diximus ſumi ſigna ſalubria diagnoſtica. Sed duo hic addenda ſunt.

1 Quod in ſe ipſis ſpectātur diminuta vel ablata.

2 Quod téſe runtur ad ſpē ſanitatis futuræ.

vt ſi

- Actio aliqua, quæ prius admodum læſa fuerat inſigniter remitti incipiat.
- Peruerſa figura membri corrigi incipiat, vel prorſus correcta appareat.
- Caliditas, frigiditas, vel alia tēperies morboſa, remittatur
- Duricies aliqua, vel mollicies, aut glabricies, & alia huiuſmodi, remittantur.
- Excrementa in ſubſtātia, quantitate, qualitate, horis, & vicibus rectificentur, & ad naturam redeant.
- Dolor / Tumor — remittatī, aut aboleatur.

Hæc enim omnia ſanitaté vel portendūt vel porté dere poſſunt.

Neutra. Hæc ipſa etiam, futuram rem, non præſentem diſpoſitionem, oſtendunt. Cum vero ſint in medio duorum, hóc habēt proprium, vt æqualiter in altero extremo eſſe poſſint, dummodo ſemper referantur ad medium. Omnino enim quæcunque ſigna, denominantur à termino, ad quem referuntur, tam ſalubria, quam inſalubria & neutra. Et cum relatio ad neutrum fit in duobus extremis, vt oſtendimus in figuris ſuperioribus: ideo duplicia ſunt ſigna neutra prognoſtica. Vel enim inueniuntur.

In corporibus habentibus inſalubritatem, vt núc idest morbum in actu. & referuntur ad neutrum quod dicitur conualeſcentiæ. Hæc ſumuntur ab omnibus fontibus, & quibus prædiximus hauriri ſigna indicantia ægritudinem vt nunc, id eſt in actu. Sed neque plane, ita remiſſa erunt, vt inde ſperetur ſalus, ſicut diximus de ſalubribus prognoſticis: Neque tam intenſa, vt oſtendant perſeuerātiam præſentis morbi, vt diximus de inſalubribus diagnoſticis: Neque tam maligna, vt pronuncient mortém, vel perniciem futuram, ſicur prognoſtica mortis, vel periculi: Sed ſunt remiſſiora quàm vt ſignificent morbi perſeuerantiam, & intenſiora quamquæ pronuncient certam ſalutem futuram. Medio igitur modo ambigentia, merito ad neutram diſpoſitionem referuntur, & vocantur prognoſtica neutræ conualeſcentiæ.

In corpore ſalubri vt nunc, quod actu habet ſanitatem & referuntur ad neutra exiſtentia in termino oppoſito, relata ad neutram diſpoſitionem. Hæc ſummuntur ab iiſdem fontibus, à quibus ſumuntur ſigna indicantia præſentem ſalubritatem vt nunc, videlicet à rebus naturalibus tantum, ab eſſentia, à neceſſario conſequentibus, ab actionibus. Quæ vbi ita declinant à perfectione, vt neque præſentem ſtatum ſeruari poſſe indicent, neque propterea portendunt manifeſtum caſum in ægritudinem, quia non ſunt tantæ maliciæ, vt propterea inſalubria appellari poſſint, ſed ambigunt in medio: ideo merito appellantur ſigna neutra pronoſtica decidentiæ.

Inſalubria, Hæc vel

Inſalubritatem vt nunc, ideſt futurum morbum indicant. Hæc proprie inueniuntur in ſalubri vt nunc, & referuntur ad inſalubre vt nunc, vbi iam actu morbus eſt. Sumuntur aūt ab iiſdem fontibus, à quibus & ſalubria, non tamen omnibus, ſed à rebus tantum naturalibus immutatis. Quo .n. ſumerentur à rebus præter naturam quę ſequuntur morbum, cum nullus adhuc ſit ibi morbus, ſed futurus timeatur? Erunt igitur vel qualitates, vel temperatura, vel quæ ad compoſitionem pertinent, ita immutata, vt licet præſentem ruinam non indicent, proximā tamen & imminentem oſtendant. Eadem ratio eſt de actionibus diminutis vel corruptis, & de conſequentibus ſubſtantiam, vt diſcurſum eſt in ſuperioribus figuris.

Pernicioſa & mortalia appellantur. Hoc genus inuenitur in inſalubribus vt nunc. Et refertur ad mortem vel perniciem futuram: eodemque modo prognoſtica vocantur. Sumunturq; ab iiſdem fontibus, ſicut & inſalubria indicantia inſalubritatem vt nunc, niſi quod omnia ſunt extrema, & in peſſimo ſtatu conſtituta, ita vt vix ſperari poſſit reſtitutio, aut correctio, vel etiam omnino non ſperetur.

CAVSSAE VEL SVNT

- Salubres vel
  - Conſeruant ſanitatẽ. Hæ referuntur ad ſanitatem.
    - Primo, vt ſemper.
    - Deinde, vt multũ.
    - Hæc enim corpora cum habeant maximam ſalubritatem, conſeruatione tantum indigent. Eſt autem manifeſtum ſimile à ſimili conſeruari, à cõtrario corrumpi. Ergo cauſſæ conſeruatiuæ ſimiles erunt diſpoſitionibus corporum ſalubrium.
  - Efficiunt ſanitatem. Hæ ſimplices non ingrediuntur latitudinem ſanitatis.
  - Vtrunq; faciunt, mixtę, vel cõpoſitę: quia partim efficiunt, partim cõſeruant. Hæ dicuntur præſeruatiuæ, & ingrediuntur latitudinem ſanitatis magis & minus ſecundum maiorem vel minorem lapſum à perfectione. Quod enim imperfectum eſt, corrigi poteſt: quod perfectum, ſeruari.

  Ergo ſalubribus corporibus vt nunc, cum ſana quidem ſunt, ſed multum deficiunt à perfectione, applicari poſſunt cauſſæ ſalubres
    - Conſeruatiuæ, cum volumus ſeruare gradum ſanitatis, non perfectiorem reddere.
    - Mixtæ, cum volumus ad perfectionem deducere: tum enim conſeruamus quidem quod bonum eſt: reficimus autem quod deficit. Et cauſſæ, quæ ad hoc conſilium applicantur, præſeruatiuæ dicuntur: Neque enim abſolute efficiunt ſanitatem, vt illæ quæ curant morbum: neque abſolute conſeruant, ſicut eę quę ſalubria ſimpliciter corpora conſeruant. Sed partim efficiunt, partim ſeruant. Ideo præſeruare dicuntur quaſi mutare & præparare corpus, vt magis reſiſtat cauſsis alterantibus.
- Neutræ aut
  - Conſeruant. Porro conſeruatio in his ſicut in cæteris, fit cum ſimilibus.
  - Efficiunt neutram diſpoſitionem. Id fit per contraria. Porro hæ quoque duas requirunt conditiones neceſſario, quas in inſalubribus diximus.

  Neutræ præſeruantes non dicuntur: nam quando præſeruant, non amplius neutræ ſunt, ſed ad ſalubres proprie referuntur.
- Inſalubres
  - Conſeruantes inſalubritatem. Hæ ſunt quæ ſimiles applicantur corporibus inſalubribus. Nam ſicut diximus, quicquid ſeruatur, à ſimili ſeruatur.
  - Efficientes inſalubritatem. Has omnino contrarias eſſe diſpoſitioni quam inueniunt neceſſe eſt, & ita contrarias, vt in deterius tranſmutent. Hæ enim duæ conditiones neceſſariæ ſunt in cauſsis inſalubr. efficientibus:
    1. Vt contrariæ ſint diſpoſitioni præſenti: aliter nõ tranſmutarent vel efficerent.
    2. Quod mutent in deterius: alioqui non eſſent cauſſæ inſalubres.
  - Præſeruantes inſalubritatem. Has Medici dimittunt tanquam ſuperuacaneas, quia nemo vtitur præſeruatione inſalubritatis: ſed præſeruatio ſemper refertur ad ſalubritatem.

Fõtes cauſſarũ ſumũtur ab his quæ humano corpori vel

- Neceſſario occurrunt. Hæ tot ſunt quot ſunt ea, ſine quibus vita diu ſuſtineri non poteſt. Sunt autem ſex
  - Aer attractus
  - Cibus & potus
  - Motus & quies
  - Somnus & vigilia
  - Inanitio repletio
  - Animi accidentia.
- Per accidens, aut per electionem eueniunt: Qualia ſunt ſine quibus vita quidem ſuſtineri poteſt: ſed ad ea compellimur appetitu, vel ratione propter aliquem vſum, vel commoditatem vitæ: vt
  - Mutatio regionis
  - Studium literarum
  - Athletica exercitatio
  - Vita militaris
  - Somni diurni
  - Cibi ſalubres
  - Crapula
  - Balnea
  - Vina
  - Ebrietas
  - Potus medicinarum
  - Frictiones
  - Fomenta
  - Miſſio ſangu.
  - Occurſus rebus et plura ſimilia
    - Incidentibus
    - Cõtũdẽtibus
    - Frãgentibus.

  Hęc eũ propemodũ infinita ſint, nõ cadunt ſub certam methodum: poſſent tamen ita diuidi. Eorum quæ per accidens corpori occurrunt,
  - Quædam extrinſecus tantum adueniunt, vt
    - Balnea
    - Fomenta
    - Frictiones
    - Emplaſtra
    - Flebotomia
    - Cucurbitulæ
    - & hmõi.
  - Quędam intrinſecus tantum, vt
    - Potus medicinarum
    - Cibi ĩſalubr.
    - Vina potentia &c.
  - Quędam intrinſ. & extrinſecus, vt
    - Aeris q̃litas
    - Solutio cõtinuitatis
    - Fractio
    - Dolor et reliqua hmõi.
  - Quędã neque intrĩſecus, neque extrinſecus occurrũt vt quæ ſunt in genere affectuum.
    - Somnus
    - Vigilia
    - &c.

HAEC OMNIA

- Si ſimilia corpori occurrũt præſentẽ diſpõnẽ cõſeruãt.
- Si contraria, immutant, & aliud efficiunt.
- Si partim ſimilia, partim cõtraria: hoc quidem conſeruãt, illud vero remouẽt. Hæc dicitur præſeruato.

Venus nobis natis quidem non eſt neceſſaria, ſed naſcituris; & ſi natis eſt neceſſaria, non omnibus tamen, ſed quibuſdãm tantum neceſſaria eſt.

99 958003

1056 21